



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Cvrsvs Philosophicvs

Arriaga, Rodrigo de

Antverpiæ, 1632

Sect. VI. Quotuplex sit præsentia localis, & quibus rebus conueniat.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95614](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95614)

affixus. Probatur Antecedens, quia quando mouetur homo ab equo v. g. non est agens, à quo produci possit nouum vbi in anima: equus enim, cum sit agens omnino materiale, non potest in animâ spirituali producere vbi, ergo tunc anima non mouetur, sed solum corpus. Nego Antecedens. Ad eius probationem respondeo, à corpore, ipsius hominis imprimi motum in animâ; eo enim ipso, quòd anima sit coniuncta corpori, hoc habet virtutem, vt dum mouetur, secum trahat animam, & hæc è contrario vt secum trahat corpus; sicut eo ipso quòd vela sint coniuncta nauis, habent virtutem, vt dum mouentur, secum rapiant nauis, & è contrario nauis trahat vela: sicut etiam ob eandem rationem, qui mouet species Sacramentales, mouet etiam Christum Dominum. Neque impedit, corpus esse materiale, ad hoc vt producat præsentiam spirituales; quia (vt sapè diximus) à materiali potest produci partialiter res spiritualis, vt patet in phantasmate producente species spirituales factem partialiter simul cum intellectu, de quo alibi. Vel si hoc non vis, dicas, eam vocationem produci à solo Deo, ita perente corporis motu, & vnione illius cum animâ.

SECTIO VI.

Quotuplex sit præsentia localis, & quibus rebus conueniat.

101 **I**nter præsentias locales omnium perfectissimâ est præsentia Dei indistincta ab ipso Deo, ratione cuius est præsens vbique, iuxta dicta Sectione 5. Est autem in præsentia difficultas, vtùm ita sit proprium Dei esse vbique, vt repugnet etiam de potentia Dei absolutâ aliquam creaturam poni simul in omnibus spatiis imaginariis. Qui dicunt repugnare infinitum in actu, consequenter dicunt, id non posse fieri per præsentias diuisibiles iuxta spatij diuisibilitatem, quia illæ necessariò futura erunt infinita; per vniciam tamen præsentiam, essentialiter respicientem omnia spatia imaginaria, rectè posse id fieri, nec ideo illa præsentia esse infinita, sicut neque est infinita cognitio, quâ omnes creaturæ possibiles in se ipsis cognoscerentur. In nostrâ autem sententiâ rectè potest id fieri etiam per infinitas præsentias distinctas, quia (vt supra diximus) rectè potest dari infinitum in actu.

102 Sed dices: Ergo illa creatura esset immensa, quia esset vbique. Nego consequentiam, quia immensitas non solum dicit esse vbique actu, sed necessariò & essentialiter, sicut æternitas, prout attributum Dei, non solum dicit durare omni tempore, sed necessariò & à se ipso: creatura autem illa esset contingenter vbique, quia posset id illi deficere etiam naturaliter, vnde etiam esset per vocationem à se distinctam, in quo differret à Deo. Adde, fortè non repugnare aliquam substantiam, quæ per suam essentiam esset vbique, quia verò posset à Deo destrui, aut non produci, ideo non esset infinita.

103 Post præsentiam increatam sequitur creata, quæ diuiditur in *circumscriptam*, quæ propria est rerum materialium habentium quantitatem, quâ ita existunt, vt vna pars sit extra aliam, & impenetrabiliter cum alio corpore quanto; & in *de-*

finitam, ratione cuius res existit in loco, siue habendo partem extra partem, siue non, siue impenetrabiliter siue penetrabiliter, siue alio quouis modo.

Vbi aduerte, omne vbi circumscriptum, includere definitum, sed non è contrario, in omni definitio includi circumscriptum; vnde hæc duo se habent vt ratio superior & inferior, non vt membra diuidentia rationem superiorem.

Hic solent tractari multæ difficultates, quæ magis pertinent ad modum loquendi, quàm ad rem. Prima sit, an quodlibet indiuisibile vocationis, quò indiuisibile lapidis, v. g. existit in loco, sit circumscriptum. Respondeo, esse partem componentem vbi circumscriptum, propriè autem non esse circumscriptum, quia hoc dicit aliquid compositum ex pluribus partibus.

Secunda; an solum vbi quantitatis, an verò etiam vbi materia sit circumscriptum. Ratio dubitandi est, quia vbi materia non est impenetrabile etiam cum alio corpore quanto, id enim solum habet vbi quantitatis, vnde videtur, illud non futurum circumscriptum; aliunde verò illud vbi habet partem extra partem, ergo est circumscriptum. Affirmant aliqui, negant alij: elige quem volueris loquendi modum, & consequenter ad illum potes explicare vbi circumscriptum. Probabilis videtur, dicendum etiam circumscriptum, quia petit coniungi cum vbi quantitatis, quo reddatur impenetrabile cum alio, etiam si per se formaliter non habeat eam impenetrabilitatem.

Tertia sit, vtùm vbiatio Christi in Eucharistia sit circumscripta. Respondeo negatiuè, quia non est ibi vna pars extra aliam, sed in quolibet puncto existunt omnes, non ergo est vbi circumscriptum, quia de huius essentia est, habere partem extra partem.

De re potest esse difficultas, à quo specificentur vbiationes. Eas specificari à spatio imaginario modo supra explicato, certum est. Deinde addo, probabile etiam, specificari à subiectis in quibus sunt: vnde diuersum vbi in specie est illud quo existit materia, ab eo quo existit forma; & inter has diuersa est vbiatio formæ leonis ab vbiatione formæ equi, sicut diuersus est amor existens in homine, ab amore existente in Angelo. idem est de cognitione. Ratio est, quia accidentia specificantur pro diuersitate subiectorum quibus insunt.

Dices: In homine & in leone dantur eadem primæ qualitates in specie; calor, frigus, &c. ergo poterunt dari eadem vbi in specie. Respondeo, eas primas qualitates non recipi in formâ hominis vel leonis, sed in materiâ; hæc autem est eadem specie in vtroque, quare fateor, vbiationes materiæ hominis & materiæ leonis esse eiusdem speciei; nego tamen, vbiationes ipsarum formarum vel materiæ vel formæ esse eiusdem speciei, propter dicta. Dixi supra, probabile esse, quia nulla est repugnantia in eo, quòd naturaliter duo accidentia similia possint esse, quantum est ex se, in diuersis specie subiectis; probabilis tamen est, ea esse determinata quodlibet ad suum, ideoque esse diuersa.

Explicatâ essentia vbiationis, oportet explicare, quibus rebus conueniat proprium vbi distinctum ab vbi aliarum.

107 **PRIMA CONCLUSIO.** Materia & forma de potentia absoluta possunt poni in loco per distinctas vbiaciones. Patet, quia diuinitus potest forma sine materia, & e contrario, existere in loco; item vna hic, altera Romæ, &c. In hac conclusione nulla est difficultas.

SECUNDA CONCLUSIO. Materia & forma non existunt per eandem vbiacionem, sed per duas. Probat: ante productionem forma supponitur materia vbiata; sed id non potest esse per vbi propriam formæ, quia hoc non potest esse prius quam forma ipsa, ergo est per aliud distinctum. Minor, & consequentia, sunt certa. Maior probatur communiter, quia in priori, antequam producat forma, supponitur materia approximata cum agente à quo in ipsa producat forma, ergo supponitur vbiata, quia approximatio est effectus formalis vbiacionis.

108 Hoc argumentum apud me non habet vim: ostendi enim supra *Disputat. vii.* à num. 73. approximationem non esse conditionem prærequiritam ad operandum pro priori natura, sed sufficere si sit in toto instanti reali operationis. Adde, quando subiectum vel non separatur à formâ ut materia à quantitate, vel quando illa forma non producat ab agente extrinseco, ut actus cognitionis & volitionis, multo minus probari argumento factò, vbiari subiectum & formam per vbiaciones distinctas, quia in eo casu non prærequiritur subiectum approximatum. Ideo ergo probandum est, distinguere eas vbiaciones materiæ & accidentium, quia materia, quæ est substantia, non est proportionata ut simul cum formâ, quæ est accidens, recipiat eandem vbiacionem. Fateor, hoc argumentum non esse admodum efficax: potest enim vis eius infringi in actibus materialibus cognitionis, qui in sententiâ communi, quam veram reputo, recipiuntur in potentia materiali accidentali & in animâ.

109 Melius ergo Secundò & vniuersaliter, quia materia existit in loco independenter ab vbiacione accidentium & ipsius formæ: non enim quia ex aere auferatur lux aut calor, ideo hic mouetur; nec quia in materiam applicatam passo introducat forma ignis, ideo materia mouetur localiter; ergo hæc non existit in loco per vbiacionem eandem formæ substantialis aut accidentium. Aduerte tamen hanc rationem non habere vim in materia quæ habet in se formam animalis, quia hæc, cum possit mouere materiam, non præsupponit eam iam vbiatam independenter à se. Adde tamen aliam limitationem, Pro qua fit

110 **TERTIA CONCLUSIO.** Valdè videtur probabile, materiam & quantitatem existere eadem vbiacione. Idem dico de essentiâ quacumque respectu passionum: quæ ab ipsâ non separantur. Dixi, *quæ ab ipsâ non separantur*, quia quæ separantur, ut frigus ab aqua, siccitas à terrâ (idem est à fortiori de aliis accidentibus separabilibus quæ non sunt passionibus) probatur est Conclusione præcedenti, non vbiari vbiacione subiecti, quia hoc immoto possunt destrui, vel de nouo produci; ideoque earum vbiacio non est vbiacio subiecti, alioquin quotiescumque deperderentur vel producerentur ea accidentia, subiectum etiam mutaret vbiacionem, quod est falsum.

111 **QUARTA CONCLUSIO.** Etiam modi, licet inseparabiles sint à subiecto, non vbiantur per vbi-

acionem ipsius subiecti (non loquor de modis habentibus essentiali connexionem cum ipsâ vbiacione, quia hi per se ipsos existunt in loco.) Probat: Conclusio à nonnullis, quia sequeretur, modos existere per denominationem extrinsecam ab vbiacione subiecti; quæ non recipitur in illis. Sed hoc argumentum non vigeat, facile enim posset quis concedere sequelam, & negare, in consequenti esse aliquid absurdum. Imò posset quis probare, non distinguere vbiacionem modi ab vbiacione ipsius subiecti, eò quòd nequeat esse in rerum naturâ subiectum, & eius vbiacio, & modus, quin modus ille sit vbiatus, quandoquidem non est separabilis à subiecto, ergo non eger vbiacione distinctâ. Patet consequentia, quia tunc solum requirimus formam distinctam, quando effectus illius potest separari à subiecto, saltem de potentia absoluta: ergo cum possit à subiecto & vbiacione illius in hoc loco, & à modo illius subiecti separari, hoc quòd est, *modum esse vbiatum*, non est superaddenda vbiacio distincta.

Quòd si dicas, neque etiam posse materiam & formam esse inter se vnitas, & materiam vbiatam, quin etiam sit vbiata forma in eodem loco, & tamen, hoc non obstante, distinguere à nobis vbiacionem formæ ab vbiacione materiæ, iuxta supra dicta; si hoc, inquam, obiciatur, poterit responderi, formam posse esse hic vbiatam sine vbiacione subiecti, quia potest saltem de potentia absoluta esse sine subiecto, ideoque hoc, quòd est, formam esse hic, non consistere in vbiacione subiecti, & vnione cum formâ, modum autem non posse hic existere nisi hic existat suum subiectum, ideoque non posse argui à formâ reali ad modalem.

112 Probo ergo efficacius distinctionem vbiacionis modi ab vbiacione subiecti, & ab ipso modo, quia potest existere subiectum hic vbiatum & modus vnitus cum subiecto, quin modus sit hic, ergo modum esse hic, aliquid est superadditum epitati modi, & vbiacioni subiecti. Consequentia est euidentis. Antecedens probatur, quia si ponatur subiectum in duobus locis, v.g. hic & Romæ, modus autem non ponatur nisi Romæ (ut posse fieri de potentia absoluta dubitauit nullus) tunc datur in rerum naturâ subiectum hic vbiatum, v.g. anima rationalis, & datur vnio illius quæ est modus animæ, & tamen vnio non est hic, sed solum Romæ (ut supponimus) ergo vnionem esse hic, aliquid est separabile ab ipsâ vnione, & à præsentia sui subiecti in hoc loco, est ergo alia vbiacio propria ipsius modi.

114 Aduerte, hoc argumentum à me factum, solum probare, modos non vbiari per vbiacionem quæ solum fit propria subiectorum. Verum autem danda sit vnica tantum vbiacio, quæ ex æquo recipiatur in materia primâ v.g. & in vnione seu actione, quæ sunt modi materiæ, est alia difficultas, quæ coincidit cum tertiâ Conclusione, in quâ dixi, probabile esse, materiam & quantitatem non habere nisi vniam vbiacionem, quæ à fortiori probant de materiâ, & actione quæ conferuatur.

Adde tamen, quando subiectum ita existit, ut naturaliter loquendo manere possit in loco eodem, ablato etiam modo; v.g. materia primâ æris, ablata luce & vnione; item ablata hac duratione, item & vnione ad hanc formam substantialem;

nalem; in hoc casu puto subiectum habiturum diuersam vbicationem à modis, quia subiectum manet in motum ablato modo, ergo non habet vbicationem communem illi modo, hæc enim perit ablato etiam modo; item subiectum supponitur prius naturâ independentem ab eis modis vbicarum, ergo habet propriam vbicationem ab eis distinctam. Si verò modus sit talis, vt de facto non pereat nisi pereunte subiecto, qualis est actio creaturæ materiæ, vno formæ materialis cum materiâ; probabile est, vnicam vbicationem in vtroque ponendam, quia vna sufficit. Vide quæ dixi suprà in secundâ & tertîâ Conclusionem.

QUINTA CONCLUSIO. Res compositæ extensiuæ, habent etiam compositas extensiuæ vbicationes, ita vt cuiuslibet parti illius rei compositæ, v. g. aquæ, ignis, &c. propria correspondeat vbicationis pars. Probatum Primò, quia immotâ vnâ parte, potest altera moueri, & de facto mouetur, ergo non est eadem vtriusque vbicatio. Secundo, quia non potest eadem vbicatio materialis finiri esse in duobus locis, ergo non potest simul recipi in duabus partibus extensionis, quæ necessariò occupant duas partes spatij.

116 Vtrum autem de potentia absolutâ dari possit aliqua vbicatio materialis, quæ simul respiciat plures partes spatij, non est huius loci. Qui dixerit, posse rem aliquam materialem produci, quæ naturâ suâ sit tota in quolibet parte spatij, & tota in toto (quod ego probabilius reputo, vt dicam Disput. 1. de Anima, à num. 49.) consequenter dicit in præsentem, possibile esse eam vbicationem materialem receptam in pluribus partibus extensiuæ subiecti, & respicientem spatium imaginarium diuisibile; cuius vbicationis ea esset essentia, vt quacumque parte subiecti ablata, vel deperditâ quacumque parte spatij, ex integro tota mutaretur vbicatio, quia ex suâ essentia respicit actualiter omnes eas partes subiecti & spatij. Quod si in vbicationibus materialibus id est possibile, à fortiori erit in spiritualibus. Sicut enim eadem indiuisibilis anima rationalis potest, & de facto existit in materiâ diuisibili, cur non poterit & per vbi indiuisibile spirituale in totâ illâ existere? Vtrum autem de facto ita contingat in animâ rationali, & in Angelo, dicam loco citato de Anima, vbi ostendam, posse dari præsentiam diuisibilem respectu Angeli & animæ rationalis.

SECTIO VII.

Vtrum de potentia absolutâ possint duo corpora esse simul in eodem loco.

117 Duo corpora non posse esse naturaliter simul in eodem loco, probatur experientia: cuius ratio est, quia quantitas, quâ ea corpora afficiuntur, siue distincta sit à materiâ, siue non, naturâ suâ petit ne aliud corpus simul in eodem loco vbicetur; idèque illud inde expellit naturaliter, sicut calor expellit ex subiecto connaturaliter frigus. Secundo certum est, duo corpora posse diuinitus simul penetrari, & existere in eodem loco, vt constat ex Fide, docente, Christum Dominum non rapisse Virginis claustrum, quod non potuit fieri sine penetratione Christi Domini cum illo. Item in conuaculum ingressus est Christus clausis ianuis, ergo penetratus est cum ia-

nus vel cum muris. Ratio huius est, quia licet quantitas naturâ suâ sit impenetrabilis cum aliâ quantitate, id non impedit quòd minus de potentia absolutâ penetrari queat, operante Deo eam penetrationem supra exigentiam ipsius quantitatis.

Dubitari tamen Primò potest, vtrum duo corpora extensa, affectaque quantitate, possint penetrari, retentis vbicationibus quantitatis, & extensione partium. Nonnulli opinantur, in quantitate vltra vbicationes, quibus vna pars est extra aliam, dari quemdam modum positium, qui sit actualis impenetratio cum aliâ quantitate: vnde inferunt, retento eo modo non posse nec diuinitus duas quantitates penetrari, quia actualis impenetratio etiam de potentia absolutâ pugnat cum actuali penetratione. Fateor, semel concessio eo modo positium actualis impenetrationis, verum esse non coherere cum illo actuali penetrationem; arbitror tamen illum esse omnino Chimæricum, quia sine vllâ necessitate ponitur; nam præcisè per vbicationes quantitatis intelligimus naturaliter loquendo impenetrationem cum aliâ quantitate, quantitas enim exigit, ne naturaliter cum ipsâ penetraret altera quantitas, quia eo ipso quòd intelligamus subiectum cum summo calore, illud intelligimus naturaliter carens frigore; neque ad hoc est necessarium ponere alium modum positium, qui sit actualis non-frigefactio. Deinde ratione à priori, quia impenetratio est formaliter aliquid negatiuum, est enim carentia vbicationis alterius quantitatis in eodem loco, ergo hæc carentia vbicationis alterius formaliter non potest esse modus aliquis positiuus, sed vt summum potest ea quasi radicari, & exigi ab aliquo positiuo; hoc autem est ipsa quantitas, quæ (vt dixi) exigit naturaliter eam impenetrationem.

Igitur dicendum est, retentis in lapide v. g. quantitate, vbicationibus extensiuæ, & positiuæ omni quod in eo est, posse de potentia absolutâ cum illo penetrari aliud corpus quantum; in hoc enim nulla apparet contradictio, imò hoc modo fuisse Christum Dominum penetratum, quando ad discipulos clausis ianuis ingressus est, & quando ex Beatissimæ Virginis vtero prodiit, videtur certo certius: neque enim tunc se Christus ad punctum contraxit. Aduerte tamen, eo casu non futura ea corpora cum actuali impenetratione, sed solum cum actuali exigentiâ impenetrationis, sicut accidens conseruatum sine subiecto non habet actualem inhesionem, sed solum actualem exigentiam illius.

Sed rogabis: Casu quo ea corpora penetrarentur, quomodo se haberent in ordine ad agendum & repatiendum? Respondeo, eodem modo ac si non essent penetrata; vnde quodlibet posset agere in passum approximatum, & repati ab agente contrario, licet vnus actiuus retardaretur nonnihil per actiuitatem alterius, sicut inter se contraria essent, v. g. aqua & terra; huius enim siccitas temperaretur per humiditatem alterius, & è contrario: ideoque in passum approximatum non produceretur tanta humiditas & siccitas à quolibet eorum; ac si essent separata, inter se autem eodem modo, imò & perfectius possent operari, quàm si non essent penetrata, essent enim magis approximata.